



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio LXI. Potest aliquando absolui, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

extat in totis disputationibus illius Joannis Sanctii cognomento Jesuitæ: vix enim, ut video, excutiet hoc nomen ille Sanchius, tam benevolum nactus nomenclatorem.

## PROPOSITIO LXI.

**P**otest aliquando absolui, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imò directè & ex proposito querit, aut ei se ingerit.

Authorem citat Baunium, & Jacobs Jesuitas: itémque Pontium, Castropalaum, & multos alios omnium Ordinum, qui, inquit, *absolutionem negare non audebant.*

De Baunio antiqua est calumnia sæpè refutata. Autor ille *tract. 4. de pœnit. q. 14. pag. 94.* docet *regulariter absolvendum non esse.* Ut vero absolui possit, requirit *dolorem de peccatis, firmum propositum, justam causam non deserendi occasionem;* qualem censet esse *alienam salutem æternam &c.* negat denique hoc esse directè querere.

De Francisco Jacobs impostura etiam est manifestior, legatur ejus quæstio Theologica de neganda & differ. absol. *dub. 1. Resp. 1.* ubi agit de neganda & differenda absolutione ob proximam occasionem peccandi, generaliter definit, *negandam esse absolutionem nolentibus deserere occasionem proximam voluntariam.*

At vero *occasionem proximam involuntariam*, qua non potest deseri sine gravi incommodo jactura, infamia &c. adeoque moraliter deseri non potest, docet non esse necessariò deserendam, ut impendatur absolutio saltem prima vice. At rursus si experientia constet, quod post absolutionem fiant relapsus, docet non esse deserendam occasionem, si deseri non possit sine peccato, aut sine periculo mortis. Si vero damnum sit temporale, etsi grave, docet non esse cogendum pœnitentem ad deserendam occasionem, si reincidat quidem, sed non tam facile, nec tam frequenter, si denique nulla sit emendatio, & tamen appareat efficax dolor, refert diversas sententias; ipse nihil definit. Sed neque mentionem facit ullam de eo, qui directe & ex proposito quarit occasionem, aut ei se ingerit. Apparet igitur impostura ex multis capitibus.

Basilii Pontius in appendice de matrimonio cap. 6. docet: licitum esse matrimonium cum probabili periculo perversionis ab altero conjugate hæretico; sed ex magna aliqua & excelsa causa; puta vel augmenti & propagationis Ecclesie, vel tranquillitatis ejus status, vel libertatis catholicorum, qui sub aliquo principe hæretico, & Consiliariis hæreticis oppressi tenebantur ..... dum tamen contrahat cum firmo proposito non labendi, sed deusq. de divina misericordia, & gratia &c. tunc enim

enim non est amare periculum, sed amare ingens illud bonum ad quod sine eo periculo perveniri non potest. Itaque periculum adit invitus, non amans. Judicet sapiens lector, an hoc sit directe, & ex proposito querere occasionem proximam, aut ei se ingerere.

Non plus docet Castropalaus tom. 1. Tr. 2. d. 2. p. 9. §. 3. exemplum ponit, quo infans moriturus est sine baptismo, si non accedis, at si accedis, timere potes subversionem: item exemplum positum à S. Thoma 2. 2. q. 10. a. 9. de eunte ad prædicandum infidelibus, de quo respondet, ut ibi D. Thomas, & Thomistæ passim.

Hinc vero doctrinam deducit ad alios casus particulares, inter quos est nullus, ubi quis directe querat occasionem peccandi, aut ei se sponte ingerat: nihil vero docet, quod non passim omnis generis Theologi, ut videre est apud Pontium loco citato, Joannem Sanchez d. 10. Moyam Tr. 3. d. 3. q. 5. aliosque.

Superest temeritas, qua affirmat, doctrinæ damnatæ Autores fuisse multos alios omnium Ordinum (Religiosos intelligit) qui absolutionem non audebant negare. Aio, extra votum Accusatoris, ne unum quidem fuisse. Nulum habuit quem nominaret. Neque autores doctrinæ fuisse convincet ex illa circumspetione, qua utuntur, ne absolutionem negent temere.

Quo

Quoniam verò damnatam Propositionem haud est veritus adscribere Francisco Jacobs, neque aliam ad hoc potuit occasionem habere, quam ex iis, quæ Professor ille edidit in suâ *Questione Theologicâ*, an & quando neganda sit absolutio pœnitenti, celeberrimorum orbis Christiani Theologorum autoritate, & approbatione firmatâ, conveniet ex illis approbationibus tam multis, & tam luculentis, quas vidit in illo opusculo, hic eas exhibere, quas dederunt Lovanienses Doctores.

Joannes d'Aubermont S. T. Doctor Lovaniensis hanc opusculi approbationem dedit: *Infrascriptus legi has resolutiones ad dubium, an, & quando neganda sit, aut differenda Absolutio Pœnitenti, breves illas quidem, sed claras, & meo judicio sanæ doctrinæ, communique Ecclesiæ praxi conformes, &c. Datum Lovanii 21. Septemb. 1675.*

Albertus Kleinen S. T. Doctor Lovaniensis sic approbavit. *Tractatum hunc, in quo breviter & succincte resolvitur dubium, an, & quando neganda sit, aut differenda absolutio Pœnitenti, à me infrascripto diligenter perlectum prælo dignissimum judico, tum quia nihil continet quo minus secundùm sacros Canones, & consuetudines Apostolicas imprimi possit, tum etiam quia brevem, & claram methodum tradit, quam omnes Confessarii in remittendis, & retinendis peccatis*

catis tutò *practicare possint. Datum Lovanii 29. Septemb. 1675.*

Christianus Lupus S. T. Doctor Lovanien-  
sis sic paucis absolvit.

*Libellus hic nihil continet Catholicæ fidei, aut  
consuetis Ecclesiarum moribus adversum; adeoque  
poterit imprimi. Dabam Lovanii die 2. Octob.  
1675.*

His subscribere non detrectasset Jacobus  
Pontanus S. T. Doctor Lovan. qui die 15.  
Maii 1654. approbavit, defenditque hanc  
Thesim.

*Ignorans articulos fidei necessitate medii cre-  
dendos, absolvi non potest; sicuti nec ille, qui non  
vult deserere occasionem proximam peccandi; nisi  
ocasio relinqui non possit absque scandalo gravi,  
infamia, vel detrimento magno spirituali, vel  
temporali. Non tam generaliter affirmavit  
Franciscus Jacobs. Habet ergo copiam Accu-  
sator, unde augeat accusationes suas.*

## PROPOSITIO LXII.

**P**roxima occasio peccandi non est fugienda,  
quando causa aliqua utilis, aut honesta non  
fugiendi occurrit.

Ad hanc propositionem vide hominis, non  
jam temeritatem, sed prope dixerim, furo-  
rem Hac, inquit, est doctrina totius Societa-  
tis, & fere omnium Ordinum, si minus in scripto,  
sal-